



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber De Regno Dei, De Qvo Christvs Loqvvtvs Per Dies  
quadraginta**

**Flavin, Melchior de**

**Parisiis, 1566**

Quomodo liberati à captiuitate mortis per Christum triumphatorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29986**

tuus? &c. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum, qui destruxit mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per euangelium, 2. ad Timoth. 1.

2. ad Tim. 1.

*Quomodo liberati à captiuitate mortis per Christum triumphatorem.* C A P . 17

**M**ulti arbitrati sunt mortem ex conditione naturæ hominibus cōtingere, tametsi natura ipsa meditetur perpetuitatem & illam desideret. At longè aliud nobis promittit diuinus sermo Rom. 5. per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors. Idem 1. ad Corinth. 15. Initiū siquidem peccati à muliere, & per illam omnes morimur. Christus autem sua morte nactus est victoriā contra peccatum. 2. ad Cor. 5. quod est mors animæ Ezech. 18. Anima quæ peccauerit ipsa morietur, & causa mortis corporis & inferni qui ex peccato ardet. Debellator peccati debellauit & mortē foetum peccati. Oze. 13. O mors ero mors tua, de qua 1. Petri 3. Deglutiens mortem, vt vitæ æternæ hæ-

Rom. 5.

1. ad Cor. 15.

Ecc. 25.

Rom. 6. & 8

2. ad Cor. 5.

Esa 53.

Ioan. 1.

Oze. 13.

1. Pet. 3.

redes efficeremur profectus in cœlū sub-  
 iectis sibi angelis & potestatibus & vir-  
 tutibus. Quare versa est mors nostra in  
 somnū Ioan. II. postquam ademptus est  
 illi aculeus, peccatum videlicet. I. ad Cor.  
 15. Vnde nunc non intoxicat non occi-  
 dit sed deducit nos à morte ad veram vi-  
 tam. Nam temporalis vita æternæ vitæ  
 cōparata, mors est potius dicenda, quàm  
 vita: Christus enim qui est vita vestiuit se  
 morte & vita, duello certauit cum mor-  
 te, quæ tandem victa est à vita longè for-  
 tiori morte. Prius enim mors uia erat ad  
 mortem æternam: nunc autem est via ad  
 æternam vitam. Ioan. 5. cap. Qui verbum  
 meum audit, & credit ei qui me misit, ha-  
 bet vitam æternam, & in iudicium non  
 veniet sed transiet à morte ad vitam. Sti-  
 pendia siquidem peccati mors: gratia au-  
 tem Dei vita æterna. Rom. 6. Rex noster  
 Christus per mortem descendit ad infe-  
 ros, & rediit inde victor profectus ad vi-  
 tam æternam ac cœlestem. Et hoc nobis  
 obtinuit vt per mortem non descenda-  
 mus ad inferos sed conscēdamus ad ve-  
 ram vitam, æternamque. Enimvero in re-  
 surrectione destruxit mortem corporum

Ioan. II.

I. ad Cor. 15

Ioan. 5.

Rom. 6.

primùm in semetipso, & demùm in suis.  
 Eius enim resurrectio causa est nostræ, I.  
 ad Cor. 15. Christus resurrexit à mortuis  
 primitiæ dormientium: quandoquidem  
 per hominem mors & per hominem re-  
 surrectio mortuorum: sicut in Adam om-  
 nes moriuntur, ita in Christo omnes vi-  
 uificabuntur. Effecit nos immortales &  
 impassibiles, vt ante peccatum: & licet  
 non possideamus actu, interim posside-  
 mus meritò passionis Christi, & habitu  
 (quod aiunt) Ephes. 2. nos cum resuscita-  
 uit. Coloss. 3. vita vestra abscondita est  
 Christo. Hoc tantillo temporis cum ma-  
 nebimus in morte, videbitur mors do-  
 dominari: attamē quia incorporati mor-  
 ti Christi Rom. 6. & vitæ eius, in illo vi-  
 uimus. Interim expectamus beatam spē  
 & aduentum gloriæ magni Dei & salua-  
 toris nostri Iesu Christi, in quo triumphā-  
 bimus de morte per Christum & spiritū  
 suum, Rom. 8. qui sumus membra eius fi-  
 de & baptismo illi coniuncti. Nunc re-  
 suscitauit nos à morte animarū illud ver-  
 bum Dei, quod est vita: sed tunc demum  
 à morte corporum. Ioan. 5. Sicut pater su-  
 scitat mortuos, ita & filius tunc relegabi-

I. ad Cor. 15.

Ephes. 2.

Coloss. 3.

Rom. 6.

Rom. 8.

Ioan. 5.

*Esa. 25.* tur mors. *Esa. 25.* Præcipitabit mortem in  
*1. ad Cor. 15* sempiternum & *1. ad Corinth. 15.* No-  
*Apoc. 21.* uissimè inimica mors destruetur, tunc  
 erit plena restitutio regni Christi de qua  
*Act. 1.* Actuum 1. Domine si in tempore hoc  
 restitues regnum Israel restituum (in-  
 quit) sed dies & hora illius restitutionis  
 erunt vobis ignota, quæ pater reposuit  
 in sua potestate. Tunc adimplebitur quod  
 tantoperè postulamus quotidie, libera  
 nos à malo tam peccati quam miseriæ &  
 mortis, quas adducit peccatum. Resurre-  
 ctio Christi causa est bonorum resurre-  
 ctionis cum immutatione: malorum ve-  
*1. ad Cor. 15* rò sine immutatione, *1. ad Corinth. 15.* &  
*Hebr. 6.* *Hebr. 6.* Non rursus iacentes fundamē-  
 tum pœnitentiæ ab operibus mortuis, &c.  
 ac resurrectionis mortuorum & iudicij  
 æterni. Christo enim data est omnis po-  
 testas in cælo & in terra cœlestium, ter-  
 restrium, & infernorum: igitur mortis &  
*Apoc. 1.* inferni, *Apoc. 1.* qui secunda sua manife-  
 statione renouabit macrocosmum & mi-  
*ad Phil. 3.* crocosmum. Interim ad *Philip. 3.* saluato-  
 rem expectamus Dominum nostrum Ie-  
 sum Christum qui reformabit corpus hu-

mile nostrum & mortale corpori gloriae  
 suae cōfiguratum. Pro argumento autem  
 futurae resurrectionis iussit auferri lapi-  
 dem sub quo conclusi tenebamus à mor-  
 te, Ioan. 11. & Matth. 28. Per angelos abla-  
 tus lapis sepulchri: Nam illi erunt mini-  
 stri resurrectionis nostrae, 1. ad Corint. 15.  
 1. ad Thes. 4. Matth. 13. & 24. Item in eius  
 morte aperta sepulchra sanctorum qui  
 in die resurrectionis cum Christo fuscita-  
 ti sunt, Matth. 27. Olim mors cedebat in  
 malum nostrum: Nunc autem in cōmo-  
 dum. Siquidem diligentibus Deum om-  
 nia cooperantur in bonum, Roma. 8. &  
 1. ad Cor. 3. Omnia vestra sunt, siue mors  
 siue vita. Mihi autem viuere, inquit Pau-  
 lus, Christus est & mori lucrum, ad Phi. 1.  
 Si enim viuimus, Domino viuimus: si au-  
 tem morimur Domino morimur siue vi-  
 uimus siue morimur Domini sumus, Ro.  
 14. Christi autem resurrectio nedum est  
 causa efficiens resurrectionis nostri, qui-  
 nimo & exemplaris. Vnde primò voluit  
 conformari nos suae passioi, quam glo-  
 riae suae resurrectionis, Roma. 8. Si tamen  
 compatimur vt & simul cōglorificemur  
 & ad Phil. 3. ad cognoscendum illum &

Ioan. 11. &

Matth. 28.

1. ad Cor. 15

1. ad Thes. 4

Matth. 13. &

24.

Matth. 27.

Roma. 8. &

1. ad Cor. 3.

ad Phil. 1.

Roma. 14.

Roma. 8.

ad Phil. 3.

virtutem resurrectionis eius, & societate  
 passionis illius, configurati morti eius, si  
 quomodo occurram ad resurrectionem  
 quæ est ex mortuis: vita nostra siquidem  
 à solo Deo fonte vitæ est in quo viuimus,  
 Act. 17. Et qui vitam largitur solus, resti-  
 tuit amissam Deus scilicet. Sed humani-  
 tas Christi instrumētum deitatis est. Vn-  
 de patet Christum esse Deum, Roma. 1.  
 Manifestatus est filius Dei in potentia ex  
 resurrectione mortuorum. Ideo illi con-  
 iuncti fide & baptismo, primū absolui-  
 mur debito mortis, quæ cedit nobis in  
 meritum, non autem in non regeneratis.  
 Abluitur anima à peccato, cōfertur etiā-  
 num vitæ æternæ hereditas, quam spe te-  
 nemus, ad Titum 3. vt iustificati ipsius gra-  
 tia, simus hæredes secundum spem vitæ  
 æternæ, in corpore videlicet & anima,  
 natura integra. Itē crucifigitur & minui-  
 tur concupiscentia carnis, quæ etiam nō  
 imputatur renatis Christo. Rom. 8. Nihil  
 damnationis est iis, qui sunt in Chri-  
 sto Iesu, qui non secundum  
 carnem ambulant.

Act. 17.

Roma. 1.

Tit. 3.

Rom. 8.